




KNY-18-00335







Illustrissimus D. Wolfgangus Rudolphus Comes à Paradieser, Sacra Cæsarea Majestatis Ephebus, qui bodie, dum primam Philosophiæ lauream cepisset, Cæsare à Augustissimi LEOPOLDI munificentia in hoc ipso Academici honoris actu aureo Torque coronatur.

Ita in pretio pretium est. (a) Sapiencia pretiosa, magnete melior, non ferrum, sed Cæsarei favoris aurum ad se attrahit. Notum est Aquilas in nummis expressas conferre valorem, signis insertas asferre spem victoriæ, scutis appictas inferre ornamentum dignitatis, in aëre visas deferre omen felicitatis. Vos, Vos Illustrissimi Domini Philosophi CLAVIGERI, TORQUATI, ET NUMMATI, (veniam verbis peregrinis dabit, ubi insolentia tanti favoris linguam percellit) qui à Cæsareis Aquilis hæc honoris & gratiæ decora estis consecuti, *ne dimittite legem Matris Vestre Philosophiæ, cum qua vobis omnia hæc bona venerunt.* Eidem grati grates honoribus, plausibusque vestris compares referte, rati cum Theodorico Rege (b) *culpæ genus esse, non fecisse quod summum est.* (c) *Vos ipsi vidistis, quæ fecerim vobis, (acclamat vobis coronaria Philosophiæ) quomodo portaverim vos, super alas Aquilarum, à quibus tam præcella immortalis famæ coronamenta obtinistis. Qui sub Austriacis Aquilis, teste Puteano, merent, non fortes tantum, sed felices sunt: pari & pugnam fiducia, & victoriam cepissent.* Victores etis sub Aquilis Austriacis: ne Stagiræ Viennensis, quæ vos ipsidem adjunxit, memoria animis elabatur; sed non ignari veteris parcemiæ: *Qui aquam haurit, fontem corona; feliciter perennate.*

(a) *Ovid. l. 1. fast.* (b) *Cass. l. 3. ep. 5.* (c) *Exod. 19.*

ODE PARÆNETICA,

Ad Reges, Cæsaresque,

*Ut in Munifico Amore erga bene Meritos Philosophos
persistant.*

Quàm vera canto! Fauistiùs imperat,
Crudæque frangit fræna tyrannidos,
Magistra Regnorum SOPHIA,
Imperij moderata Fasces,

E

Leges

Legesque dictans : quam prope confidet
 Vis foeta Conso, blanda Serenitas,
 Martisque robur, Principumque
 Obsequium, Studiumque Recti.
 Audite Reges : Tuque Alemanicæ
 Vindex salutis, Gloria Cæsarum,
 Victor rebellantùm, Austrijque
 Grande Jubar, LEOPOLDE, Cœli,
 Audicanentem. Sidere prospero
 Quicumque anhelat flectere subditas
 Urbesque, gentesque, & secundis
 Imperij dare jura velis,
 Colat STAGIRAM. Cui Sapiencia
 Opes propinat divitis Ingeni,
 Mentisque noctes in Serenos
 Ire jubet sine nube Soles,
 Huic plena Consi mens dominabitur
 Perferre sortem docta subhorridam,
 Et in ruinis, luctibusque
 Æquanimum solidare pectus.
 Hâc arte stabis rectiùs illigans
 Felicitatis fræna : protervior
 Nec scepta collidet Megæra
 Marticrepis animata flammis.
 Abscede deses corpor, Ifauricis
 Mergendus undis, dum SOPHICUS LABOR
 Caput coronat, laureumque
 Sollicitat diadema mentem.
 Sol esto, Princeps ; sed Sapienciæ.
 A Sole soles ingenij trahere,
 Et clarus illustris diei
 In Patriæ emolumenta surge.

Sol



KNY-18-
 00335

Sol esto, Princeps, cui latus ambiat
 Chorus SOPHORUM dignior aspici,
 Colique dignus, quique curas
 Consilij face dimovebit.

Sol esto, Princeps, in Sapientium
 Pernix amores. Pythagoras senex,
 Senexque Cecrops, & Stagiraë
 Innocuus sine fraude Doctor,¹
 Sunt, sunt colendi. Persia Regibus
 Olim Quaternos, Lumina Curiaë,
 Dedit Magistros: sed SOPHORUM
 Erudiet satis una Pallas.

Nec æqua desint culmina gloriaë,
 Et eruditaë præmia laureaë,
 TORQUESQUE, NUMMIQUE, & refusis
 Munera concomitata palmis.
 Sic læta Pallas tendet in ardua,
 Impendiosus si meritis HONOR,
 Virtutis hortamenta, pleno
 Dona ferat resoluta cornu.

O. A. M. D. G.

